



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Gangvlphvs C. 11. Maij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

LAODICVS carceris custos iterum tribunali sistendam non agnosceret, ejusque fugam luere ferro pararet, revocatum à scelere GLYCERIA Christo asseruit, sponte deinde manus pedesque iis vinculis astringentem, quæ virgo tulerat. Et ille quidem securi addictus ad cælum per compendium abiit. GLYCERIA, Diis hominibusque victis, etiam belluas triumphavit. Stetit inter leones agna, neque exhorruit contubernium. Ipsi ad eò feris tradidit mores suos, & genuinam rabiem cicuravit; vix cum voce de cælo lapsa excedere circo victrix juberetur, morsuunculam à leonâ impetravit, quæ animæ viam faceret. E corpore olenti fluxit, ne athleticis pro innocentia pugnaturis ceroma deesset. *Ex Surio.*

*Spiritus subjectam carnem disciplina freno coercet, & ad supernam Hierusalem quotidie ferventis desiderii gradibus festinet. Promissa castitati premia incessanter afficiat, quorum dulcedine provocatus; quidquid versutiâ callidi insidiatoris opponitur, libero fidei pede transcendat. S. Pet. Dam. ep. 7. c. 24.*

S. GANGVLPHVS C. 11. Maij.

GANGVLPHO Dynastæ Burgundo corporis, quæque fortunæ propriè imputamus, bonis felicissimo, nihilominus cum malorum omnium extremo malâ uxore conflictandum fuit. Ea præter cæteram morum perversitatem etiam foedis amoribus indulsit, quos denique fons prodidit, & hoc & aliis prodigiis illustris. GANGVLPHO in Campaniâ prædenti simplicissima ad speciem questio excidit, quanti fontanam, cui assidebat, hospes æstimaret; sibi enim opidò allubescere, hospes delirium interpretatus, pretium tantum statuit.

statuit. GANGVLPHVS aquam, quanti indicata erat, emit, & se dat in viam; fons, inaudito miraculo, eum sequitur, & Varenis, ubi domicilium habebat, novo ortu erumpit, serò jam damnante mercimonium suum Campano. Ex hoc ergo fonte calculum levare GANGVLPHVS uxorem iussit, absolurus eam, si id impune fecisset. Accipit conditionem cum risu adultera; sed brachium velut ex Vulcani ollâ fœdè ustulatum retulit; nullo tamen, præter divortium, incommodo affecta, ad ingenium rediit, & denique adulterio paricidium conjunxit. Id ubi amator illius (pro pudor! Clericus erat) perpetratum ad prostibulum retulit, infelicem animam cum alvo deiecit. GANGVLPHVM miracula divis exæquarunt; quæ cum adultera traduceret, infami per omnem vitam supplicio est exercita, quod prodere verecundiores, quàm illa fuit, literæ erubescunt, Ex Surio.

*Mentiri & jurare lingua tua prorsus ignoret, tantusque in te sit veri amor, ut quidquid dixeris juratum putes. De quo Salvator ad discipulos ait. Non jurate omnino: Sit autem sermo vester, Est Est, Non Non; quod autem his abundantius est, a malo est. S. Hieron. ep. 14.*

**N**on omnes serò sapere Phryges, PANCRATIVS ipse quoque Phryx ostendet. Quatuordecim non amplius natus annos vitâ quàm Christum maluit perdere, quæ quidem summa est sapientia. Principe familia, Cledonio patre ortus, eoque mortuo, Dionysio patruo in tutelam commendatus Romam cum eo commigravit, quo tempore Diocletianus, Christiani sanguinis gut-